





1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



ENANTIOΦANON 32 657.
SIVE
LEGUM CONCILIATARUM

FASCICULUS III. 1628, 19.

Cœlesti favente Numine

Pro publicâ disputatione propositus

In Academiâ Argentoratensi:

PRÆSIDE

GEORGIO-DAVIDE LOCAMERO,

J. U. D. ET PANDECT.

PROFESSORE;

Respondente

ADAMO Hünener / Argentoratensi.

In Auditorio Jctorum.

Die 22. Februar.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REYPI. ANNO M. DC. XXVIII.



V I R O

Clarissimo & Consultissimo

DN. JOSIÆ GLASERO,
Incluti Reipubl. Argentoratensis Senatus
Quindecim-virorum Consiliario pruden-
tissimo, Cognato & Patrono suo debita ani-
mi observantia perpetim colendo
& honorando

Præsens exercitium Iuridicum

*In ulteriorem sui commenda-
tionem officiosè consecra-
tum voluit*

Respondens.



C A P. I.

Concil. l. un. §. ult. de offic. cons. cum l. apud filium f. 18. §. 1. de man. vind.



Consul apud se manumittere potest: si verò sit minor 20. annis, non nisi apud collegam causâ probatâ potest. d. l. un. §. ult. de offic. cons.

Imò: ut prætor apud collegam manumittere non potest d. l. 18 §. 1. de man. vind. ita nec Consul: cū utrobique videatur eadem ratio: quod collega in collegam, velut par in parem, non habeat imperium. l. apud eum 14. de manumiss.

Sol. Si quidem certum esset, Consulem apud collegam manumittere non posse: pronū esset dicere, in d. l. un §. ult. sententiam concipiendam, non, quod Consul minor 20. annis, causâ probatâ manumittat apud collegam: sed quod causâ apud collegam probatâ, manumittat apud se ipsum. l. si rogatus 20 §. ult. de man. vind. verū quia id certum non est, idè nec interpretatio ista necessaria erit: Sed dici poterit, quod Consul causâ apud collegam probatâ, manumittere possit, cū apud se, d. l. 20. §. ult. tūm apud collegam. Necturbabit, quod de paritate imperii fuit allegatum. Quia ambo consules non simul, eodēque die, sed alternis tantū vicibus, cum imperio & fascibus fuerunt. teste Livio lib. 2. c. 1. in fin.

II.

Concil. l. 1. §. & urbe interdicere. 13. de off. præf. urb. cum l. ult. pr. de pæn.

Præfectus ubi interdiceret potest alicui negotiatione, & professione, & advocationibus, & foro: & ad tempus, & in perpetuum. d. l. 1. §. 13. de off. præf. urb.

Imò: Præses ultra administrationis suæ tempus interdiceret alicui arte sua uti, non potest. d. l. ult. pr. de pæn.

Sol. Distinguendum videri posset inter artem, sc. mechanicam, cujus major sit necessitas, & negotiationes & advocationes, quarum major quidem dignitas, sed minor necessitas, quæque propterea difficilius concedantur, & facilius prohibentur. Verū quia id ipsum facti est, & interdum contrario modo se habet: nec satis apertè ex isto textu

B 2

demon-

demonstratur: magis est, ut non tam in ipso prohibendo, quam in prohibente differentiam agnoscamus: aliudque dicamus esse in præfecto urbi aliud in præside: cum & alias constet, plus concessum fuisse præfecto urbi, quam præsidi. *exem. l. inter pœnas. 6. §. deportandi. 1. de interd. & relegat.*

III.

Concil. l. ult. pr. cum ejusdem. l. ult. verb. fin. de offic. præf. urb.

Præfectus urbi, cum terminos urbis exierit potestatem non habet. *d. l. ult. pr. de off. præf. urb.*

Imò: Extra urbem potest jubere judicare *d. l. ult. verb. fin.*

Sol. In dictis verbis finalibus non continetur sententia, quod Præfectus extra urbem constitutus, possit jubere judicare: sed quod jubere possit judicare extra urbem, ipse scilicet constitutus intra urbis terminos. Quod ipsum docet *d. l. ult. principium.*

IV.

Concil. l. 2. §. apud. 1. de off. procons. cum l. apud filiumfam. 17. §. sed & apud. 1. de man. vind.

Apud legatum proconsulis nemo manumittere potest. *d. l. 2. §. 1. de off. procons.*

Imò: Apud legatum proconsulis manumittere possumus. *d. l. 17. §. 1. de man. vind.*

Sol. Distingui solet, utrum proconsul ingressus sit provinciam, & legato jurisdictionem mandarit (nam antè ei mandare eam nequit *l. observare 4. §. ult. de off. procons.*) an verò ingressus eam nondum sit: maximè, cum & in *princ. d. l. 2.* sit sermo de proconsule, qui urbem quidem egressus, sed provinciam ingressus nondum est. Verùm, quia & ratio in *d. l. 2. §. 1.* & generalius in *seq. l. 3.* subjecta, militare videtur æquè in casu quo proconsul provinciam ingressus, legato jurisdictionem mandavit, atque in eo quo nondum ingressus, eam necdum mandavit: (cum ea quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, & ex speciali concessione magistratibus competunt, ut est manumissio, mandari regulariter nequeant. *arg. l. 1. pr. de off. ejus cui mand. est jur. l. apud præfectum. 21. de manumiss. vindict.*) & testibus bonis autoribus, in *d. l. 17. §. 1.* antiquissimi etiam libri manuscripti negativam habent, *manumittere non possumus*, ideo textus iste magis eo modo emendandus, quam reventâ lectione affirmativâ de conciliatione laborandum videtur. add. *Cujac. 1. obs. 1. & 15. obs. 19.* & *Mercer. in conciliatore sub primo præcepto qui*

pro, qui ex suo manuscripto valdè antiquo, laudat lectionem in *d. l. 17. §. 1.* etiam subtractà copulativà: *sed apud legatum ejus manumittere non possumus.*

V.

Concil. *l. solent. 6. in fin. princ. de offic. proconsf. cum l. un. C. eod. tit.*

Rei criminum apud legatum pro consulis accusari non possunt. *d. l. 6. in fin. princ. de offic. proconsf.*

Imo: Legati pro consulum non solùm civiles, sed & criminales causas audiunt. *d. l. un. C. de offic. proconsf.*

Sol. Ex ipsa collatione istorum locorum apparet, quod in *d. l. un.* legati audire causas criminales intelligendi sint, non quod coram iis ipsis instituaturs accusatio: sed quod instituta coram proconsulibus accusatione, legati cætera cognoscant, adeoq; causas istas nudè audiant: ita ut si in reos sententiam ferendam providerint, non ipsi pronuncient, sed ad proconsules remittant. Apertâ sententiâ, quod legatus cui ejusmodi reorum audientia est mandata, reos nocentes deprehensos condemnare non possit. An autem innocentes inventos absolvere possit, dubitare liceat. Nam etsi ordinario jure absolvere reos non possit: ob eam ipsam causam, quod accusari a quod eum non possint. *d. l. 6. in fin. pr. extraordinario* tamen illo mandato absolvendi: saltem jus contineri, conjecturâ capiendum præbet textus in *d. l. un.* dum non simpliciter, ut legati reos auditos ad proconsules transmittant, præcipit; sed disertè casum exprimit, *si in reos sententiam ferendam providerint.* Vbi sententiam condemnatoriam, nec qualemcunque, intelligendam esse, probabile est ex eo, quod peracta audientiâ sententiam aliquam condemnatoriam vel absolutoriam ferendam esse, nunquam non possit provideri, adeoq; diserta casus istius expressio, otiosa & superflua esset. Nec contrarium probat *d. l. 6. pr. ibi ut innocentem ipse liberet. de off. proconsf.* quia pluralis numerus in verbis *solent, & remittant,* (quorum illud ad proconsules, hoc ad legatos refertur) æquè facit dubium ut ipse proconsul atq; ut ipse legatus subintelligatur. Et posse quem absolvere, (puta à pœna deportationis) qui non possit (in eandem pœnam) condemnare, liquidò apparet *ex l. inter pœnas. 6. §. 1. de int. & releg.* Ibi enim statuere, quod & in casu quo præses de crimine, cujus pœna deportatio esset, cognovit, & reum innocentem deprehendit, nomen Principi sit scribendum, ut is reum absolvat, non erit consentaneum.

VI.

Concil. l. solent 6. in princ. de offic. procons. cum l. 1. §. an au-
tem 4. de suspect. tutor.

Apud legatum proconsulis accusari reus non potest. d. l. 6. in fin.
pr. de offic. procons.

Imò: Apud legatum proconsulis tutor suspectus postulari po-
test. d. l. 1. §. 4. de suspect. tutor.

Sol. Speciale videtur quod de tutore suspecto in d. l. 1. §. 4. tradi-
tur: cujus singularis ratio consistit in favore pupillorum, propter quo-
rum utilitatem constitutum est, ut mandato jurisdictionis, etiam cog-
nitio de suspectis contineatur. l. cognitio. 4. in pr. de offic. ejus cui mand.
Sanè inter civilem & criminalem cognitionem & accusationem hinc
distinguendum non esse: constat ex eo quod ut civiliter contra suspe-
ctum agi possit, ut removeatur, non appareat.

VII.

Concil. l. & legati 15. de offic. procons. cum l. nec mandante 8. in
pr. de tutor. & curat. dat.

Legati pro consulum tutores dare possunt d. l. 15. de offic. procons.

Imò: Nec præses tutoris dationem mandare alij potest. d. l. 8. in
pr. de tutor. dat.

Sol. Quod in d. l. 8. pr. habetur regulare & ordinarium est, ut col-
ligi potest ex l. 1. pr. de offic. ejus cui mand. junct. l. muro 6. §. tutoris datio
2. de tut. Alterum verò in d. l. 15. est singulare in legato proconsulis l. 1.
§. legatus. 1. de tutor. dat. cujus ratio est, quod legatus non sit simplex
jurisdictionis mandatarius, qui aliena vice fungeretur: sed quodam-
modo magistratus, qui accepto jurisdictionis mandato etiam jure suo
proprio, velex ipsius legis concessione, jurisdictionem & singularia
nonnulla alia habet ac potest: ut videre est ex collat. l. 1. §. qui mandatam
1. de offic. eius. & l. legati. 13. de off. procons. exemp. l. cum prator. 12. §. ju-
dicem dare 1. de judic.

VIII.

Concil. l. Cognitio 4. pr. de offic. ejus cui mand. cum l. 1. §.
suspecti. 11. ad S. C. tum Turpill.

Cognitio de suspectis tutoribus mandari potest. d. l. 4. pr. de off. e-
jus cui mand.

Imò: suspecti tutoris accusatio pro tribunali tantum examinari po-
test.

test, & nullus alius de huiusmodi quaestione, quam Praeses, pronuntiare potest. *d.l. 1. §. 11. ad SCtum Turpill.*

Sol: Dicitur potest quod in *d.l. 1. §. 11.* cognitio illa tribuatur soli Praesidi, non simpliciter, sed certa comparatione, & respectu magistratum municipalium, qui nec tribunal, nec mandata à Praeside jurisdictionem habent. Ceterum, si & certum esset Ictum simpliciter id voluisse, quod tutoris suspecti accusatio mandari non possit: limitanda tamen isthaec sententia esset, quod vera sit, de jure stricto; jure verò benigno, & propter utilitatem pupillorum, aliud sit introductum. *d.l. 4. de off. ejus.*

IX.

Concil. l. consiliari. s. de offic. assessor. cum l. ult. pr. C. eod. tit.

Consiliari (seu consiliario) non licet negotia tractare (seu advocaciones praestare) in auditorio in quo assidet: in alio autem potest. *d.l. 5. de off. assessor.*

Imò: Nemo potest etiam in alio iudicio esse assessor, & in alio advocatus. *l. ult. pr. C. eod. tit.*

Sol. Non est, ut in *d.l. 5.* verbum *Consiliari*, sumatur in Dativo, pro *consiliario*: eo sensu qui modò fuit propositus; sed in Genitivo, pro *Consiliarii*: hoc sensu, quod negotia Consiliarii propria, non quidem in ipsum illud auditorium, in quo Consiliarius assidet, deduci possint, sive ab ipso Consiliario sive ab alio, ejus nomine: possint tamen deduci in auditorium aliud, idque tam ab ipso consiliario (quippe sibi ipsi non advocato) quam ejus nomine ab alio. Qua ratione nihil erit quod *d.l. ult.* repugnet.

X.

Concil. l. 1. de jurisd. cum l. tuto. 6. §. tutoris datio. 2. de tutel.

Ad officium jus dicentis pertinet, etiam pupillis non habentibus tutores constituere. *d.l. 1. de jurisd.*

Imò: Tutoris datio non est jurisdictionis. *d.l. 6. §. 2. de tutel.*

Sol. Latius patet terminus ad officium jus dicentis pertinere, quam esse jurisdictionis. Nam jurisdictionis esse dicuntur tantum ea, quae vi ipsius jurisdictionis, & propter ipsam jurisdictionem, magistratui, ut magistratui, adeoque jure proprio, competunt: quod de tutoris datione dici non potest. *d.l. 6. §. 2.* Ad officium verò jus dicentis pertinent & à magistratu expediri debent, non tantum ea, quae jurisdictionis sunt, & ordi-

man.
in fin.
ri po-
tradi-
quo-
n cog-
mand.
em hic
suspe-
te 8. in
ocons.
l. 8. in
ut col-
datio
lis l. 1.
mplex
odam-
re suo
ularia
datam
§. ju-
l. 1. §.
e off. e-
ri po-
rest,



& ordinario jure ei, ut propria, competunt: sed & quæ specialiter ei sunt mandata: in quibus est etiam tutoris datio. *d.l. 6. §. 2. de tutel. l. cui eorum. 3. de postul. l. si quis. 3. §. sed et si. 5. judic. solv.*

XI.

Concil. l. Imperium. 3. in fin. de jurisd. cum l. cum prator. 12. §. judicem dare. 1. de judic.

Jurisdictio est etiam judicis dandi licentia. *d.l. 3. in fin. de jurisdic.*

Imò: Judicem dare possunt non omnes qui jurisdictionem habent: sed ij tantùm quibus id lege, vel constitutione, vel SCto conceditur. *d.l. 12. §. 1. de jud.*

Sol. Judicis dandi licentia rectè iurisdictio dicitur, & ad jurisdictionem refertur; etsi non omnes jurisdictionem habentes, dare judicem possint. Quia ut capite præcedenti indicatum, jurisdictionis aliqua versatur etiam circa ea, quæ non ex vi ipsius jurisdictionis, sed ex speciali concessione veniunt. Neque verò in verbis ex *d.l. 12. §. 1.* adductis, subsistendum; sed & ex sequentibus addendum, quod illi quoque judicem dare possint, quibus more (quem apud omnes magistratus Romanos invaluisse credibile est) id fuit concessum.

COROLLARII LOCO SIT:

Quod pupillus, sine tutoris auctoritate, ex contractibus, quibus res aliqua ad ipsum pervenit, itémq; ex præcedentis obligationis novatione, obligetur ea naturali obligatione, ex qua datur soluti retentio, et si locupletior factus non sit: ea verò, ex qua datur actio, tum demum, cum locupletior est factus.

F I N I S.

TRA SSBurg, Diss., A627-23

ULB Halle 3
004 527 275



Sl

VD 77







...tus, vi
...sd.
...ingue.
...l.9. qui
...cept. l.
...uffores
...ppella.
...de ar-
...cum
...actio-
...d aliis
...14. de
...um
...tori
...etur
...ris,
...eri-
...ebi-

ENANTIOΦΑΝΩΝ 32 657.
SIVE
LEGUM CONCILIATARUM

FASCICULUS III. 1628, 79.

Cœlesti favente Numine
Pro publicâ disputatione propositus
In Academiâ Argentoratensi:

PRÆSIDE
GEORGIO-DAVIDE LOCAMERO,
J. U. D. ET PANDECT.
PROFESSORE;

Respondente

ADAMO Hünerey / Argentoratensi.
In Auditorio Jctorum.
Die 22. Februar.



ARGENTORATI.
Typis JOHANNIS REPI. ANNO M. DC. XXVIII.

23

